

BR  
65  
C9D39  
1887



*Class*

*Book*

**University of Chicago Library**

**BERLIN COLLECTION**

GIVEN BY

MARTIN A. RYERSON

|                     |                    |
|---------------------|--------------------|
| H. H. KOHLSAAT      | BYRON L. SMITH     |
| CHAS. L. HUTCHINSON | C. R. CRANE        |
| H. A. RUST          | CYRUS H. McCORMICK |
| A. A. SPRAGUE       | C. J. SINGER       |





S. THASCII  
CAECILII CYPRIANUS  
LIBER  
DE MORTALITATE  
ET  
EPISTOLA AD DEMETRIANVM  
CVM ADNOTATIONIBVS  
SAC. IOANNIS TAMIETTHI  
POLITIORVM LITTERARVM DOCTORIS



AVGVSTAE TAVRINORVM  
EX OFFICINA SALESIANA

Sancti Petri Arenarii - Nicaeae ad Varum - Bonis-Auris in America.

AN. M. DCCC. LXXXVII.

quum aetatis suae annum attingeret trigesimum quintum vel septimum. Tunc foro et Rhetoricae ludo penitus relictis, laude hominum spreta, divitiisque pauperibus distributis, unice animum applicuit virtutibus Christianis acquirendis: adeoque brevi inter Christianos inclaruit, ut sancta sacerdotum auctoritate, cathecumenus adhuc, honestaretur, et paulo post una omnium voce Carthaginiensium episcopus renuntiaretur anno ccl vel ineunte ccli.

In tam illustri tamque conspicuo gradu constitutus, mirum est qualem se gesserit, nulli labori parcens, ut gregis saluti pro viribus prospiceret, veritatis christianaे notitiam propagaret, et contra haereticos et schismaticos, quos dicunt, defenderet atque confirmaret, pauperibus stipem, miseris solatium preeberet, ita ut exemplum omnibus pietatis, fortitudinis esset.

Quies vero et securitas, qua Christiani, Philippis imperantibus, utebantur, turbata nuper a Decio fuerat, qui, imperfectis Philippis, imperium adeptus, legem contra nomen Christianum tulit anno ccl. Undique tunc odia per universum imperium in Christianos exardescere; in vincula eos coniicere; in exilium pellere; ad bestias popularibus tumultibus vocare; ferro, igne necare; Carthagine vero, ubi primum nuntius necis S. Fabiani Pontificis Maximi perlatus fuit, turbae clamitare: Cyprianus ad leones. Qui secum reputans in tanta rerum perturbatione, tantoque suorum periculo non esse prudentis, gregem pastore orbare, in secessu quodam se abdidit, unde Christianam plebem epistolis regere, exhortari, docere, confirmare posset. Quatuordecim ibi mensibus, omnibus fere ignotus, latebris

tutus, incolumis remansit, usque ad Decii mortem. Tum ad suos, exultante populo, multis lacrymas praegaudio effudentibus, reversus est.

Neque ita multo post compertum est, quanti incolumentas Cypriani Carthagini esset. « Nam erupit postmodum lues dira et detestabilis morbi vastitas (1) nimia innumeros per diem populos a sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impie . . . . Iacebant interim in tota civitate non iam corpora, sed cadavera plurimorum, et misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuae flagitabant. Nemo respexit aliud quam sua lucra crudelia. . . . Quid inter haec egerit Christi et Dei pontifex (2), qui Pontifices huius mundi (3) tanto plus pietate, quanto religionis veritate praecesserat, scelus est praetermittere. Aggregatam primo in loco uno plebem de misericordiae bonis instituit, docens divinae lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum prosint officia pietatis. Tunc deinde subiungit non esse mirabile, si nostros tantum debito charitatis obsequio foveremus: eum perfectum posse fieri, qui plus aliquid publicano et ethnico fecerit; qui malum bono vincens et divinae clementiae instar (4) exercens, inimicos quoque dilexerit: qui pro persecutum se salute, sicuti Dominus monet et hortatur,

(1) Vastatio.

(2) Cyprianus.

(3) Pontifices Deorum.

(4) Imitatus Divinam clementiam.

» orarit.... distributa sunt ergo continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. Multi qui  
 » angustia paupertatis beneficia sumptus exhibere  
 » non poterant, plus sumptibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus  
 » cariorem. Et quis non sub tanto ductore prope  
 » raret inveniri in parte aliqua talis militiae, per  
 » quam placeret et Deo Patri et Iudici Christo, et  
 » tam bono interim sacerdoti? » (S. Pontius. *Cypriani Vita*).

Hac quidem grassante peste, inter alia, quae noster perfecit, librum etiam *De Mortalitate* scripsit, ut doceret omnia Christianis esse cum aliis hominibus mala communia, donec hac vita utimur, atque Christianos hortaretur ne mortem metuerent; et contra *Demetrianum epistolam*, qui contendebat homines tot calamitatibus ideo affligi, quod Deorum cultum reliquissent Christiani.

Hisce ferme temporibus magna quaestio orta est *De Rebaptizandis*: utrum, scilicet, qui Baptismum ab haereticis petiissent, rite censendi essent Christiani, an iterum salutaribus aquis essent ablueri. Opinio fuit Cypriano, et multis tum Africae, tum Asiae episcopis, Baptismum ab illis collatum irritum esse habendum. At S. Stephanus, qui tum Pontifex erat Maximus, hanc opinionem omnino reprobandal censuit, et, si quis eam amplecti vel defendere adhuc auderet, Christianorum coetu se electurum minitatus est. Nec tamen Cyprianum reprehendas, qui sibi falso quidem, at bona mente induxerit ad disciplinam, quam dicunt, illud tantum pertinere. Ceterum quae ei esset cura concordiae cum Romano Pontifice, quem principem

nominis Christiani colebat; et quanti faceret eius auctoritatem; et quo aestuaret desiderio veritatis Christianae tueudae, testantur tum liber, quem scripsit *De Unitate*, tum quod omnia, quae ab Africis Conciliis statuerentur, Romam mittere solitus erat, ut a Pontifice Maximo probarentur, tum denique ferrum, quo obtruncatus pro Christo interiit.

Etenim Valerianus imperio potitus fuerat anno CCLIII.  
 « Hunc, ait Baluzius, Trebellius Pollio vel eo maxime commendat, quod mansuetissimus ac benignissimus fuerit erga Christianos: additque nullum superiorum principum, ne illos quidem ipsos qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate et benevolentia nostros complexum esse, quantam Valerianus prae se ferebat initio principatus sui, tamque eius familiam Christianis hominibus abundasse, ita ut Dei Ecclesia esse videretur. Sed immensum mutatus ab illo, crudelissime saeviit in Christianos. » Tunc primum in exilium Cyprianus Curubim actus est, quae fuit « Africæ propriae civitas, in provincia Zeugitana, in eaque peninsula sita, quae in mare Mediterraneum septentrionem versus longius excurrit » (1), prope Carthaginem. Anno fere integro transacto, a Galerio Maximo Africae proconsule damnatus capite, extra urbem est obtruncatus xviii kal. octobris anno CCLVIII.

Multa scripsit ediditque noster, quae longius esset recensere: ex his duos excerpti libros *De Mortalitate* atque ad *Demetrianum*, quos supra memoravi. Hos rogo ut aequo animo excipias: delectabit enim

(1) *Bolland.* (14 septemb.).

tum res ipsa, tum oratio, quae Tertullianum sapit, quem magistri nomine Cyprianus vocabat. Non desunt quaedam, quae Africum solum redolent; iuvabit tamen vis ipsa dicendi; et magnum tibi solatum inde futurum spero hisce praesertim diebus, quibus tot tantisque plagis homines plectuntur, nomenque christianum funditus evertere impii conantur.

### MONITA.

1. *Cyprianus, quum Sacrae Scripturae verba et sententias affert, vel utitur versione italica, quam prae manibus habebant latini homines christiani antequam Hieronymus suam edidit versionem, vel ipse sibi e graeca lingua vertit.*
2. *Plurimorum Patrum morem secutus, quoties de mundi fine sermo est, imminere atque in proximo esse testatur: nec absurde, si temporis transeuntis velocitatem reputes.*
3. *Saepe apud eum occurrunt:*

*α' Quando pro eo quod est cum, quoniam, quandoquidem.*

*β' De pro eo quod est a, ab, e, ex, etiam passiva signif.. Haec autem A. F. Maurouny affert exempla de latinis scriptoribus: Tac. Ann. I, 37: De imperatore rapti fisci, h. e. Ex eius domo. — Cic. pro Dom. 128: Imperator agros de hostibus captos consecrabat.*

*γ' Saeculum pro eo quod est hominum societas,*

voluptates et illecebrae huius vitae. *Inde vox facta est saecularis.*

Mundum pro eo quod est rerum universitas. Sed identidem aliam pro alia voce usurpat noster.

δ' Persecutio. *Proprie actus erat* persecuendi in iudicio. Sed quia Christianis fuit actus crudelis vexationis, non male Christiani scriptores hanc vocem adhibuerunt pro eo quod est vexatio.





---

# DE MORTALITATE

---

## ARGVMENTVM.

Paucis argumentum explicat D. Pontius in Vita Cypriani: " A  
,, quo, inquit, Christiani mollioris affectus circa amissionem  
,, suorum, aut, quod maius est, fidei minoris consolarentur spe  
,, futurorum? In primis enim, ubi praedictas docuit huiusmodi  
,, afflictiones a Christo, non timendam docet mortalitatem seu  
,, pestem, eo quod ad immortalitatem ducat, atque adeo fidem  
,, isti deesse, qui non meliora festinat. Neque mirum, quod  
,, Christiano cum gentilibus sint mala huius vitae communia,  
,, quum plus caeteris illis in saeculo sit laborandum: atqne  
,, proinde exemplo sanctorum Iob et Tobiae patientia opus esse,  
,, neque murmurandum. Nisi enim praecesserit pugna, non posse  
,, victoriam contingere, et quantumvis morbi communes sint  
,, utrisque, mortem tamen communem non esse: ad refrigerium  
,, enim instos, ad supplicium rapi iniustos. Deinde obiectioni  
,, tacitae, quod per hanc mortalitatem privarentur martyrio,  
,, respondet: non esse in nostra potestate martyrium, et vel  
,, animum ad martyrium promptum Deo iudice coronari. Postre-  
,, mo non ita lugendos docet mortuos, ut gentilibus scandalum  
,, simus, tanquam spe resurrectionis careamus. Quin si et no-  
,, strae accersitionis dies venerit, lubenti animo ad Dominum  
,, hunc emigrandum, praesertim cum ad patriam transmigremus:  
,, ubi nos magnus carorum numerus expectat, frequens et copiosa  
,, turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, et adhuc  
,, de nostra salute sollicita. „ Facit autem occasionis, qua hunc  
librum scripsit, mentionem Eusebius in Chronicō: " Pestilens  
,, morbus, inquit, totius orbis multas provincias occupavit

„ maximeque Alexandriam et Aegyptum, ut scribit Dionysius et Cypriani De Mortalitate testis est liber. „ Ex eodem etiam locos quosdam citat D. Bugust. 1. 2 adversus Iulian. contra 2 Epist. Pelag. 1. 4, 8, etc.

(Ex editione Iacobi Pamelii).

I. Etsi apud plurimos vestrum, fratres dilectissimi, mens solida (1) est et fides firma et anima devota (2), quae ad praesentis mortalitatis copiam (3) non motetur, sed tamquam petra fortis et stabilis turbidos impetus mundi et violentos saeculi fluctus frangit potius ipsa, nec frangitur, et temptationibus non vincitur, sed probatur (4); tamen, quia animadverto in plebe quosdam vel imbecillitate animi, vel fidei parvitate, vel dulcedine saecularis vitae (5), vel sexus

(1) *mens solida*. Animus fortis, firmus, validus, qui nec flecti, nec frangi potest. Mens pro eo quod est *animus*, vel etiam ea animi pars in qua est *fortitudo*, ut ita dicam, saepissime legitur apud latinos scriptores. *Solidum* autem id dicitur, quod est plenum, nec ulla parte inane vel laxatum, vel cavum: ideo quae solida sunt, duriora, firmiora, validioraque esse videntur.

(2) *anima devota*, pro eo quod est parata ad subeundas calamitates, uti habet et Lucan. iv, v. 833: *stabat devota jurens*. *Dannata iam luce ferox securaque pugnae*.

Quare *mens solida* refertur ad fortitudinem animi, *fides firma* ad persuasionem intellectus, *anima devota* ad promptam voluntatem: quibus noster inferius opportune opponit *imbecillitatem animi, parvitatem fidei, dulcedinem saecularis vitae*.

(3) *mortalitatis copiam*. Mortuum frequentiam. Ab aureis scriptoribus *mortalitas* usurpatur pro eo quod est *rei mortalis et caducae conditio*; sed et apud Plin. Iun. l. x, ep. 50, occurrit pro *morte* ipsa: Rex mortalitate interceptus.

(4) *probatur*. Etenim sortem se esse probat, qui vinci non potest.

(5) *saecularis vitae*. Id est, huius vitae mortalis, qua utimur.

mollitie, vel, quod maius est, veritatis errore (1), minus stare fortiter, nec pectoris sui divinum atque invictum robur exercere; dissimulanda res non fuit (2) nec tacenda, quo minus, quantum nostra mediocritas sufficit, vigore pleno (3) et sermone de dominica lectione concepto (4), delicatae (5) mentis ignavia comprimatur, et qui homo Dei et Christi esse iam coepit, Deo et Christo dignus habeatur.

II. Agnoscere enim se debet, fratres dilectissimi, qui Deo militat, qui, positus in coelestibus (6) castris, divina iam spirat (7), ut ad procellas et turbines mundi trepidatio nulla sit in nobis, nulla cunctatio; quando haec ventura praedixerit Dominus, providae vocis hortatu instruens (8) et docens et praeparans

(1) *veritatis errore*. Videsis Livium xxiv, 17: Id *errore viarum*, an exiguitate temporis exequi non potuerint, incertum est.

(2) *dissimulanda res non fuit*. Pro eo quod est *dissimulandum non fuit*. Liv. i, 57: Tentata res est primum, si primo impetu capi Ardea posset.

(3) *vigore pleno*. Id est, qua maxima vi animi et vocis possum.

(4) *concepto*. Ex Sacra Scriptura hausto, quae Dei verbum refert.

(5) *delicatae*. Delicata (a verbo *delicare*, quod dicebant pro *dedicare*), Festus ait, ea esse quae lusui consecrata essent. Itaque *delicati* dicebantur pueri ac servi, quos deliciarum causa in domibus habebant Romani. Hinc *delicatus* dictus etiam est mollis, et deliciarum avidus et effoeminatus; quem nemo dubitat esse *ignavum*. Tertul. de Spect.: *Delicatus es, Christiane, si in saeculo voluptatem concupiscis.*

(6) *coelestibus castris*. Quia Christus dux est Christianorum ad pugnam, quae conserenda quotidie est cum malo spiritu, cum concepiscentia et vitae illecebris.

(7) *divina iam spirat*. Id est, divina sibi praemia iam pollicetur. Alii legunt *sperant*.

(8) *instruens*. Quod una voce *instruens* concepit, id explicat diffusius vocibus *docens, praeparans, corroborans*.

atque corroborans Ecclesiae suae populum ad omnem tolerantiam futurorum. Bella et fames et terrae motus et pestilentias per loca singula exsurgere praenuntiavit et cecinit. Et ne inopinatus nos et novus rerum infestantium metus quateret, magis ac magis in novissimis temporibus adversa crebrescere ante praemonuit. Fiunt ecce quae dicta sunt; et quando fiunt quae ante praedicta sunt, sequentur et quaecumque promissa sunt, Domino ipso pollicente et dicente: *Quum autem videritis haec omnia fieri, scitote quoniam in proximo est regnum Dei* (Luc. xxi, 31). Regnum Dei, fratres dilectissimi, esse coepit in proximo. Praemium vitae et gaudium salutis aeternae, et perpetua securitas, et possessio paradisi nuper (1) amissa, mundo transeunte, iam veniunt; iam terrenis coelestia, et magna parvis, et caducis aeterna succidunt. Quis hic anxietatis et sollicitudinis locus est? Quis inter haec (2) trepidus et moestus est, nisi cui spes et fides deest? Eius est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire. Eius est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare.

III. Scriptum est enim iustum fide vivere (Röm. i, 17). Si iustus es, et fide vivis; si vere in Christum credis, cur non, cum Christo futurus et de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, am-

(1) *nuper amissa*. Quamvis plura transacta sint saecula, ex quo primi parentes e Paradiso fuerunt cieeti, Cyprianus tamen poetice *nuper* dixit, quia respexit ad velocem temporis cursum.

(2) *inter haec*. Adde mala: id est, *bella et fames et terrae motus et pestilentias*.

plecteris (1); et quod diabolo careas, gratularis? (2). Simeon denique ille iustus, qui vere iustus fuit, qui fide plena Dei praecepta servavit, dum (3) ei divinitus responsum fuisse, quod non ante moreretur quam Christum vidisset, et Christus infans in tempulum cum matre venisset, agnovit in Spiritu natum esse iam Christum, de quo sibi fuerat ante praedictum; quo viso, scivit se cito esse moriturum. Laetus itaque de morte iam proxima, et de vicina accersitione (4) securus, accepit in manus puerum, et benedicens Dominum (5) exclamavit et dixit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (Luc. II, 29, 30); probans scilicet atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando, de istis mundi turbinibus extracti, sedis et securitatis aeternae portum petimus,

(1) *amplectaris*. Construe: cum futurus sis cum Christo, et sis securus de pollicitatione Dominica, cur non amplecteris, quod ad Christum voceris? *Amplexor* autem hic est *magni aestimo*. Legitur etiani apud Cic. Phil. x, 9, sed cum accusativo: *Illorum etiamsi amplexor virtutem, ut facio, tamen si essent arrogantes, non possem ferre fastidium*.

(2) *gratularis*. Pro eo quod est *laetaris*. Namque *gratulari* idem sonat ac *secum vel. cum aliis de aliqua re laetari*.

(3) *dum*. Pro eo quod est *cum*.

(4) *accersitione*. Pro eo quod est *arcessitu, vocatu*.

(5) *Benedicens Dominum*. Benedicere cum accusativo reputatur tantum apud scriptores aevi inferioris. Sunt tamen, qui putant cum accusativo legi etiani apud Tibullum I. II, c. III, v. 31: *Sed, bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat*. Sed illud *bene Messalam* formula est bene precantis in computationibus (Forcellinus).

quando , expuncta hac morte (1) , ad immortalitem venimus. Illa est enim vera pax, illa fida tranquillitas (2), illa stabilis et firma et perpetua securitas.

IV. Caeterum, quid aliud in mundo, quam pugna adversus diabolum quotidie geritur? Quam adversus iacula eius et tela (3) conflictationibus (4) assiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus (5) vitiis (6), cum illecebris saecularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis et undique diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus (7) abscindit. Cogeris maledicere, quod

(1) *expuncta hac morte*. Id est, *expulsa, victa morte*. Expungere idem sonat ac *delere id quod scriptum est*: sed translate adhahetur pro eo quod est *extrudere, expellere*. Pers. Sat. II, v. 12: *Pupillumve utinam, quem proximus haeres Impello, expungam*.

(2) *tranquillitas*. A tranquillitate maris sumpta metaphora.

(3) *iacula eius et tela*. Iaculum speciatim est hostile, quod manu iaculari possumus, a *iacio*. Telum vero id omne significat, quod sive manu, sive tormento mittitur. Igitur noster oratorio more a specie ad genus progreditur.

(4) *conflictatio*. Pro eo quod est *pugna*. Gellius, l. xv, c. 18: Exercituum duorum conflictatio.

(5) *carnalibus*. Tertull. de Poenit., cap. 3: Delictorum quae-dam sunt carnalia, id est corporalia, quaedam spiritualia.

(6) *vitiis*. Cic. 3 de Fin. cap. 12: Quod vituperabile est per se ipsum, id eo ipso *vitium* nominatum puto: vel etiam a vitio dictum *vituperari*.

(7) *zelus*. Graece ξηλος; fervor ille animi, qui in aemulatione cernitur, qui interdum vitiosus est, interdum cum virtute, quantum scilicet vel ad honesta studiosius capessenda incitat, vel invidiam de alterius bonis, odiumque interdum parit. (Videsis Forcellinium, qui exempla affert Prudent. et Vitruv. et Auson.).

divina lex prohibet; compelleris iurare, quod non dicet.

V. Tot persecutions animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur; et delectat hic inter diaboli gladios diu stare! quum magis concupiscendum sit et optandum ad Christum, subveniente velocius morte, properare, ipso instruente (1) nos et dicente: *Amen, amen, dico vobis, quoniam vos plorabitis et plangetis, saeculum autem gaudebit; vos tristes eritis; sed tristitia vestra in laetitiam veniet* » (Ioan. xvi, 20). Quis non tristitia carere optet? Quis non ad laetitiam venire festinet? Quando autem in laetitiam veniat nostra tristitia Dominus denuo ipse declarat, dicens: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis* (Ibid. 22). Quum ergo Christum videre gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum nisi quum viderimus Christum, quae caecitas animi, quaeve dementia est amare pressuras et poenas et lacrymas mundi, et non festinare potius ad gaudium quod numquam possit auferri?

VI. Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit vera esse quae promittit Deus, qui verax est, cuius sermo credentibus aeternus et firmus est. Si tibi vir gravis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem; nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus (2) atque in actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur; et tu mente incredula perfidus

(1) *instruente*. Id est, *docente*. Quintil.: Protinus iudex notitia rerum instruendus videtur.

(2) *stare in sermonibus*, etc. Hoc est, *promissa complere*.

fluctuas! Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem atque aeternitatem pollicetur; et tu dubitas! Hoc est Deum omnino non nosse; hoc est Christum, credentium Dominum et magistrum, peccato incredulitatis offendere; hoc est, in Ecclesia constitutum (1), fidem in domo fidei non habere.

VII. Quantum proposit exire de saeculo, Christus ipse salutis atque utilitatis nostrae magister ostendit; qui, quum discipuli eius contristarentur quod se iam dicaret recessurum, locutus est ad eos dicens: *Si me dilexissetis, gauderetis utique, quoniam vado ad Patrem* (Ioan. xiv, 23), docens scilicet et ostendens, quum cari, quos diligimus, de saeculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum. Cuius rei memor beatus apostolus Paulus in Epistola sua ponit et dixit: «*Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*» (2) (Philipp. i, 21); lucrum maximum computans (3) iam saeculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis et vitiis carnis obnoxium fieri; exemptum pressuris augentibus et venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lactitiam salutis aeternae, Christo vocante, proficisci.

VIII. At enim quosdam movet (4) quod aequaliter

(1) *in Ecclesia constitutum*. Nempe, cum Christianus sis, cuius est Dei sermoni fidem praebere, nullani tamen ei fidem adiungis.

(2) *Mihi vivere*, etc. Id est, Si vivam, Christo vivam; si moriar, Christo fruar.

(3) *computans*. Aestimans. Dicitur de iis praesertim qui rationes reputant.

(4) *Quosdam movet*. Hoc est, Quidam sunt, qui eo offenduntur, quod haec pestilentia Christianos aequae ac Ethnicos corripiat.

cum gentibus nostros morbi istius valetudo (1) corripiat; quasi ad hoc crediderit (2) Christianus, ut, immunis a contactu malorum, mundo et saeculo (3) feliciter perfruatur, et non omnia hic adversa perpessus, ad futuram laetitiam reservetur. Movet quosdam quod sit nobis cum caeteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum caeteris, quamdiu adhuc, secundum legem primae nativitatis (4), manet caro ista communis? Quoadusque istic in mundo sumus, cum genere humano carnis aequalitate coniungimur, spiritu separamur. Itaque donec *corruptivum istud induat incorruptionem, et mortale hoc accipiat immortalitatem* (I Cor. xv, 53), et Christus nos perducat ad Deum Patrem, quaecumque sunt, carnis incommoda sunt nobis cum humano genere communia. Sic, quum foetu sterili (5) terra ieurna est, neminem fames separat. Sic, quum irruptione hostili civitas aliqua possessa est, omnes simul captivitas vastat. Et quando imbre nubila serena suspendunt, omnibus siccitas una est. Et quum

(1) *valetudo*. Usurpatur tam in bonam quam in malam partem, tum pro eo quod est *sanitas*, tum pro eo quod est *ae-grotatio*.

(2) *crediderit*. Etenim Christianae Sapientiae fundamentum in fide est positum.

(3) *mundo et saeculo*. *Mundo* refertur ad universitatem rerum, *saeculo* vero ad hominum societatem vivendique comoda.

(4) *primae nativitatis*. Qua omnes nascimur, non qua *quis renatus est ex aqua et Spiritu Sancto* (Ioan. iii, 5).

(5) *foetu sterili*. Animadverte *inductionis* exemplum, qua noster quaedam mala enumerat, quae Christianis cum Ethnicis sunt communia, ut inde inferat et oculorum dolorem, et impetum febrium, et membrorum infirmitatem (quae sunt pestis tum grassantis effectus) etiam cum eis communia esse ferenda.

navem scopulosa saxa confringunt, navigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor, et impetus febrium, et omnium valitudo membrorum cum caeteris communis est nobis, quamdiu portatur in saeculo caro ista communis.

IX. Quinimmo, si qua conditione, qua lege crediderit Christianus noscat et teneat, sciet plus sibi quam caeteris in saeculo laborandum, cui magis cum diaboli impugnatione luctandum. Docet et praemonet Scriptura divina, dicens: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore, et praepara animam tuam ad temptationem.* Et iterum: *In dolore sustine, et in humilitate tua potentiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis* (Eccl. II, 1, 4, 5).

X. Sic Iob post rerum damna, post pignorum (1) funera, vulneribus quoque et vermibus graviter afflitus, non victus est, sed probatus (2); qui, in ipsis conflictationibus (3) et doloribus suis patientiam religiosae mentis ostendens, ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino visum est, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum* (Iob. I, 21). Et quum eum uxor quoque compelleret, ut, vi doloris impatiens, aliquid adversus Deum querula et invidiosa voce loqueretur, respondit et dixit: *Tanquam una ex ineptis mulieribus locuta es. Si bona excipimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus? In his omnibus quae contigerunt ei, nihil peccavit*

(1) *pignorum.* Filiorum.

(2) *probatus.* Videsis cap. I.

(3) *conflictationibus.* Videsis cap. IV.

*Iob labiis suis in conspectu Domini* (Iob. II, 19). Itaque illi Dominus Deus perhibet testimonium dicens: *Animadvertisisti puerum meum Iob? non enim est similis illi quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor* (Iob. I, 8). Et Tobias, post opera magnifica, post misericordiae suae multa et gloriosa praeconia (1), caecitatem luminum passus, timens et benedicens in adversis Deum (2), per ipsam corporis sui cladem (3) crevit ad laudem; quem et ipsum uxor sua depravare tentavit dicens: *Ubi sunt iustitiae (4) tuae? Ecce quae pateris* (Tob. II, 14). At ille, circa timorem (5) Dei stabilis et firmus, et ad omnem tolerantiam passionis fide religionis armatus, temptationi uxor invalidae (6) in dolore (7) non cessit, sed magis Deum patientia maiore promeruit (8). Quem postmodum Raphaël angelus collaudat et dicit: *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu et Sara nurus tua, ego obtuli memoriam orationis vestrae in*

(1) *gloriosa praeconia.* Praeconium idem est ac *fumae sonus*; sed hoc loco noster adhibuit hanc vocem pro *rebus gestis, quibus Tobias gloriari sibi et famam conciliavit*.

(2) *Benedicens Deum.* Videsis cap. II.

(3) *cladem.* Iacturam, damnum. Tit. Liv. II, 13: Mucius, cui postea Scaevolae, a clade dextrae manus, cognomen inditum.

(4) *Ubi sunt iustitiae, etc.* Quid tibi profuit iustitia tua?

(5) *circa timorem.* Intellige: quod attinet ad timorem. Sveton. Nero, 51: Circa cultum habitumque pudendus. Cicéron dirait simplement: ad timorem stabilis, comme il dit: Vir ad casum fortunamque felix. (A. F. Maunoury).

(6) *invalidae.* Quae non erat *stabilis et firma circa timorem Dei*.

(7) *in dolore.* Quamvis in dolore versaretur.

(8) *Deum promeruit.* Deum sibi conciliavit. Nam *promereri aliquem est sibi aliquem conciliare benefactis*.

*conspectu* (1) *claritatis Dei. Et quum sepelires tu mortuos simpliciter* (2) *et quia non es cunctatus exsurgere et derelinquere prandium tuum, et abiisti et condidisti mortuum, missus sum tentare te* (3), *et iterum me misit Deus curare te et Saram nurum tuam. Ego enim sum Raphaël unus ex septem Angelis sanctis qui assistimus et conversamur ante claritatem Dei* (Tob. xii, 11, 15).

XI. Hanc tolerantiam iusti semper habuerunt, hanc Apostoli disciplinam de Domini lege tenuerunt, non mussitare (4) in adversis, sed quaecumque in saeculo accidentum fortiter et patienter accipere, quum Iudeorum populus hinc semper offenderit (5), quod adversus Deum frequentius murmuraret (6), sicut testatur in Numeris Dominus Deus, dicens: *Desinat murmuratio eorum a me et non morientur* (Num. xviii, 25). Murmurandum non est in adversis, fratres dilectissimi, sed patienter et fortiter quidquid acciderit sustinendum, quum scriptum sit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non despicit* (Ps. l, 19); in Deuteronomio quoque moneat per Moisen Spiritus Sanctus, et dicat: *Dominus Deus tuus vexabit te, et famem iniiciet tibi, et cognoscetur in corde tuo si bene*

(1) *in conspectu*. Cum consisterem coram Deo, obtuli, etc.

(2) *simpliciter*. Quin lucrum quaereres.

(3) *missus sum tentare te*. Mittere cum accus. occurrit etiam identidem apud Terentium. Item Propertius 2, eleg. 13: *Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas.*

(4) *mussitare*. A Musso: idem sonat ac *submissa voce queri*.

(5) *offenderit*. Malum acceperit.

(6) *murmuraret*. Murmurent aquae; sed interdum dicitur de illo, qui quidquam recusans submissa voce indignatur.

*custodieris praecepta cius, sive non* (Deut. viii, 2); et iterum: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, ex tota anima vestra* (Dent. xiii, 4).

XII. Sic Abraham Deo placuit, qui, ut placeret Deo, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recusavit (Gen. xx). Qui filium non potes lege et sorte mortalitatis amittere, quid faceres si filium iubereris occidere? Ad omnia te paratum facere timor Dei et fides debet. Sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua membrorum et cruenta vexatio; sit de uxore, de liberis, de excedentibus caris funebris et tristis ayulsio: non sint tibi scandala ista, sed praelia; nec debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in collectatione virtutem; quum ccontemnenda sit omnis iniuria malorum praesentium fiducia futurorum bonorum. Nisi praecesserit pugna, non potest esse victoria: quum fuerit in pugnae congreessione victoria, tunc datur vincentibus et corona. Navis gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata (1) iactatio est quum periculum non est. Conflictatio in adversis probatio est virtutis. Arbor quae alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur; et navis quae forti compage solida est, pulsatur fluctibus, nec foratur; et quando area fruges

(1) *Delicata*. Vides cap. I. — *iactatio*. Adde *navis*. Alii ita locum explanant: *Facile se miles iactat, quum periculum abest; sed pugna probatio est virtutis, si quam ipse habeat.* — Nobis vero videtur *iactatio* ad navem, *conflictatio* ad militem referri.

terit (1), ventos grana fortia et robusta contemnunt, inanes paleae flatu portante rapiuntur.

XIII. Sic et apostolus Paulus, post naufragia, post flagella, post carnis et corporis multa et gravia tormenta non vexari sed emendari se dicit adversis, ut, dum gravius affligitur, verius probaretur: *Datus est mihi, inquit, stimulus carnis meae, angelus Sathanae qui me colaphizet, ut non extollar.* Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi « *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur* » (II Cor. XII, 7-9). Quando ergo infirmitas et imbecillitas et vastitas aliqua grassatur, tunc virtus nostra perficitur, tunc fides, si tentata persistiterit, coronatur, sicut scriptum est: *Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis* » (Eccl. xxvii, 6). Hoc denique inter nos et caeteros interest, qui Deum nesciunt, quod illi in adversis queruntur et murmurant, nos adversa non avocant a virtutis et fidei veritate, sed corroborant in dolore.

XIV. Hoc, quod (2) nunc corporis vires solutus in fluxum venter eviscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exaestuat; quod assiduo vomitu intestina quatuntur, quod oculi vi sanguinis inardescunt, quod quorumdam vel pedes vel aliquae membrorum partes contagio (3) morbidae putredinis

(1) *Area fruges terit.* In area fruges teruntur. Virgilium videtur imitatus esse, qui Geog. I, 192, ait: *Nec quiquam pingues palea teret area culmos.*

(2) *Hoc, quod,* etc. Pestem per enumerationem effectum presso et poetico stylo describit.

(3) *contagio.* Ne alia membra putrescant ob contagium putredinis, amputantur quae in tabem fluunt.

amputantur, quod per iacturas et damna corporum prorumpente languore vel debilitatur incessus, vel auditus obstruitur, vel caecatur aspectus (1), ad documentum proficit fidei. Contra tot impetus vastationis et mortis inconcussis animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est! Quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum (2), nec cum eis, quibus spes in Deum nulla est, iacere prostratum! Gratulari magis oportet et temporis munus amplecti, quod (3), dum nostram fidem fortiter promimus, et labore tolerato ad Christum per angustam Christi viam pergimus, praemium vitae eius et fidei, ipso iudicante, capiamus. Mori plane timeat, sed qui, ex aqua et spiritu non renatus, gehennae ignibus mancipatur. Mori timeat qui non Christi cruce et passione censemur (4). Mori timeat qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Mori timeat, quem, de saeculo recedentem, perennibus poenis aeterna flamma torquebit. Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus eius et gemitus interim differatur.

XV. Multi ex nostris (5) in hac mortalitate mo-

(1) *aspectus*. Proprie est *actus videndi*, sed hoc loco pro eo quod est *coecantur oculi*.

(2) *erectum*. Horat.: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae*.

(3) *amplecti quod*. *Quod* interdum praecedentis verbi significationem determinat, et usurpatur ad resolvendum infinitum; *che, que, δτι* (Vid. Forcellin.). Sveton. in Tito, 8: *Recordatus quondam super coenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset*.

(4) *cruce et passione censemur*. Censeri aliqua re idem est ac ob aliquam rem in pretio esse, notum et clarum. Senec., epist. 76: *Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censemur*.

(5) *ex nostris*. Intellig. *Christianis*.

riuntur, hoc est multi ex nostris de saeculo liberantur. Mortalitas ista, ut Iudaeis et gentibus et Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est. Hoc quod (1), sine ullo discrimine generis humani, cum iniustis moriuntur et iusti, non est quod putatis bonis et malis interitum esse communem: ad refrigerium iusti vocantur, ad supplicium rapiuntur iniusti; datur velocius tutela (2) fidentibus, perfidis poena. Improvidi et ingrati sumus, fratres dilectissimi, ad divina beneficia (3), nec quid nobis conferatur agnoscimus. Excedunt ecce in pace tutae cum gloria sua virgines, venientis Antichristi minas et corruptelas et Iupanaria non timentes; pueri periculum lubricae aetatis evadunt, ad continentiae atque innocentiae praemium feliciter pervenient; tormenta iam non timet delicata matrona, metum persecutionis et manus cruciatusque carnificis, moriendi celeritate, lucrata (4). Pavore mortalitatis et temporis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi, desertores compelluntur ut redeant, gentiles coguntur ut credant, vetus fidelium populus ad quietem (5) vocatur, ad aciem recens et copiosus exercitus (6) robore fortiore colligitur, pugnaturus sine

(1) *Hoc quod*, etc. Quia videtis iustos una cum iniustis hac peste mori, vobis non est putandum bonis et malis, etc.

(2) *tutela*. Videsis cap. 3; Illa fida tranquillitas, illa stabilis et firma et perpetua securitas.

(3) *ad divina beneficia*. Quod attinet ad divina beneficia.

(4) *moriendi celeritate lucrata*. Nempe, si peste decedit, hoc luceratur, quod amplius non timeat persecutiones, manus et cruciatus carnificis. Saeve tum Decius insectabatur Christianos.

(5) *ad quietem*. Ad coelum, ubi aeterna quies.

(6) *recens et copiosus exercitus*. Etenim *gentiles coguntur ut credant*.

metu mortis quum proelium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit.

XVI. Quid deinde illud (1), fratres dilectissimi, quale est, quam pertinens, quam necessarium, quod pestis ista et lues, quae horribilis et feralis videtur, explorat iustitiam singulorum, et mentes humani generis examinat, an infirmis serviant sani, an propinqui cognatos pie diligent, an misereantur servorum languentium domini, an deprecantes aegros non deserant medici, an feroce violentiam suam compriment, an rapaces avaritiae furentis insatiabilem semper ardorem vel (2) metu mortis extinguant, an cervicem flectant superbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus caris, vel sic aliquid divites indigenibus largiantur et doneant, sine haerede morituri! Ut nihil aliud (3) mortalitas ista contulerit, hoc Christianis et Dei servis plurimum praestitit, quod martyrium coepimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere. Exercitia sunt nobis ista, non funera. Dant animo fortitudinis gloriam, contemptu mortis praeparant ad coronam.

XVII. Sed fortasse aliquis opponat et dicat: Hoc me ergo in praesenti mortalitate contristat, quod qui

(1) *Quid deinde illud... quale est.* Intellige: quid dicam, quale est, et quam pertinens et quam necessarium illud, quod pestis, etc.

(2) *vel.* Pro eo quod est *saltem*. Terent. Phorm. II, 1, 72: *Postremo, si nullo alio pacto, vel foenore.* Quamvis non desint qui explicent pro *etiam*, ut si dicas: Postremo si nullo iam pacto, etiam foenore (V. Forcell.).

(3) *Ut nihil aliud.* Quamvis nihil aliud, etc. Ovid. I. III, ex Pont. epistol. 4: *Ut desint vires tamen est laudanda voluntas.*

paratus ad confessionem (1) fueram et ad tolerantiam passionis toto me corde et plena virtute deoveram, martyrio meo privor, dum morte praevenior. Primo in loco non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium; nec potes te dicere perdisse quod nescis an merearis accipere. Tunc deinde Deus, *scrutator renis et cordis* (Apoc. II, 23) et occultorum contemplator et cognitor, videt te et laudat et comprobat, et qui perspicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem. Numquid Cain, quum Deo munus offerret, iam pemerat fratrem? Et tamen parricidium mente conceptum Deus providus ante damnavit. Ut illic (2) cogitatio mala et perniciosa conceptio, Deo praevidente, prospecta est, ita et Dei servis, apud quos confessio cogitatur et martyrium (3) mente concipitur, animus ad bonum deditus, Deo iudice, coronatur. Aliud est martyrio animum deesse, aliud animo defuisse martyrium. Qualem te invenit Dominus quum vocat, talem pariter iudicat, quando ipse testetur et dicat: *Et scient omnes Ecclesiae quia ego sum scrutator renis et cordis* (Apoc. II, 23). Nec enim Deus sanguinem nostrum desiderat, sed fidem quaerit. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, et tamen fidei ac iustitiae meritis honorati inter patriarchas primi

(1) *ad confessionem*. Nempe, ad confessionem nominis Christiani pro tribunali.

(2) *Ut illic*. Ut in illo Caino.....

(3) *confessio et martyrium*. Confessio et martyrium inter se discrepant. Etenim *confessores* ii dicebantur, qui coram magistratibus, nec tormentis fracti, Christianum nomen profiteri auderent: quod si morte pleterentur, vocabantur *martyres*.

esse meruerunt; ad quorum convivium congregatur quisquis fidelis et iustus et laudabilis invenitur.

XVIII. Meminisse debemus voluntatem nos, non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie iussit orare (1). Quam praeposterum (2) est, quamque perversum, ut, quum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos et accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus! Obnitimur et reluctamur, et pervicacium more servorum, ad conspectum Domini cum tristitia et moerore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis. Et volumus ab eo praemiis coelestibus honorari, ad quem venimus inviti? Quid ergo oramus et petimus ut adveniat regnum coelorum, si captivitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus et poscimus ut acceleret dies regni, si maiora desideria et vota potiora sunt servire istic diabolo, quam regnare cum Christo?

XIX. Denique (ut manifestius divinae Providentiae iudicia clarescerent, quod (3) Dominus, praescius futurorum, suis consulat ad veram salutem), quum quidam de collegis et consacerdotibus (4) nostris, infirmitate defessus et appropinquante iam morte sol-

(1) *iussit orare.* "Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra."

(2) *Praeposterum est.* Praeposterum illud dicitur, quod est inverso ordine factum.

(3) *clarescerent quod.* Videsis cap. XIV. *amplecti quod.*

(4) *consacerdotibus.* Erat hic episcopali auctoritate auctus: aliter enim non potuisset Cypriani collega et consacerdos dici,

licitus, conimeatum (1) sibi precaretur, adstitit deprecanti et iam pene morienti iuvenis honore et maiestate venerabilis, statu celsus et clarus adspectu, et quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem (2) videre iam poterat de saeculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi et vocis indignatione infremuit, et dixit: « Pati timetis; exire non vultis; quid faciam vobis? » Increpantis vox est et monentis, qui de persecutione sollicitis, de accersitione (3) securis non consentit ad praesens desiderium, sed consultit in futurum. Audivit frater noster et collega moriturus, quod caeteris diceret. Nam qui moriturus audavit, ad hoc audavit ut diceret. Audivit non sibi ille sed nobis. Nam quid sibi disceret, iam recessurus? Didicit immo nobis remanentibus, ut, dum sacerdotem, qui conimeatum petebat, increpitum esse comperimus, quid cunctis expediatur, agnosceremus.

XX. Nobis quoque ipsis minimis et extremis quoties revelatum (4) est, quam frequenter atque manifeste de Dei dignatione praeceptum est, ut contesta-

(1) *Conimeatum* sibi precari dicebantur milites, qui vel milittiam aut omnino aut ad tempus relinquendi, vel longiore tempore procul ab exercitu domi quiescendi veniam peterent. Quare Episcopus ille videtur Deum precatus fuisse, ut sibi longior vita concederetur.

(2) *nisi quod talem*. Nisi illud dicendum est, quod talem videre iam poterat. Italice: *se non fosse che*. Cic. Famil. XIII, 1: Cum Patrone epicureo mihi omnia sunt communia, *nisi quod* in philosophia vehementer ab eo dissentio.

(3) *de accersitione*. Vide cap. III adnot.

(4) *revelatum est*. Pluribus locis sibi Deum plura revelasse testatur noster.

rer (1) assidue et publice praedicarem fratres nostros non esse lugendos, accersitione Dominica de saeculo liberatos, quum sciamus non eos amitti, sed praemitti; recedentes praecedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent; desiderari eos debere, non plangi; nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba iam sumpserint; occasionem dandam non esse gentilibus, ut nos merito ac iure reprehendant, quod, quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos et perditos lugeamus, et fidem, quam sermone et voce depromimus, cordis et pectoris testimonio non probemus. Spei nostrae ac fidei praevericatores (2) sumus; simulata, facta, fucata, videntur esse quae dicimus. Nihil prodest verbis preferre virtutem, et factis destruere veritatem.

XXI. Increpat denique apostolus Paulus et obiurgat et culpat, si qui contristentur in excessu suorum: *Nolumus, inquit, ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et caeteri qui spem non habent. Si enim credimus quia Jesus mortuus est et resurrexit, sic et Deus eos, qui dormierunt in Iesu, adducet cum illo* (I Thess. iv, 13, 14). Eos contristari dicit in excessu suorum, qui spem non habent. Qui autem spe vivimus, et in Deum credimus, et Christum passum esse pro nobis et surrexisse confidimus, in Christo manentes, et per

(1) *contestarer*. Pro eo quod est, *testarer*, *profiterer*. *Contestari* proprium est *testem appellare*.

(2) *Praevericator* significat eum qui in contrariis causis quasi varic ipse positus videtur (Cicer. partit. 6). — *Praevericator* autem est quasi varicator, qui diversam partem adiuvat, prodata causa sua (Ulp. iii, tit. 2).

ipsum atque in ipso resurgentes (1), quid aut ipsi recedere istinc de saeculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus, ipso Christo Domino et Deo nostro monente ac dicente : *Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me licet moriatur, vivet; et omnis qui vivet et credit in me, non morietur in aeternum?* (Ioan. xi, 25, 62). Si in Christum credimus, fidem verbis et promissis eius habeamus; et non morituri in aeternum, ad Christum , cum quo et victuri et regnaturi semper sumus, laeta securitate veniamus.

XXII. Quod interim morimur (2), ad immortalitatem morte transgredimur; nec potest vita aeterna succedere, nisi hinc contigerit exire. Non est exitus iste, sed transitus et, temporali itinere decurso, ad aeterna transgressus. Quis non ad meliora venire festinet? quis non mutari et transformari ad Christi speciem (3) et ad coelestis gloriae dignitatem venire citius exoptet, Paulo apostolo praedicante et dicente : *Nostra autem conversatio (4), inquit, in coelis est, unde et Dominum expectamus Iesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostrae conformatum corpori claritatis suae?* (Philipp. iii, 20, 21). Tales nos futuros et Christus Dominus pollicetur,

(1) *in ipso resurgentes.* Quia membra Christi sumus, resurgentemus per ipsum non solum, sed etiam in ipso, id est, in gloria et amore Christi.

(2) *Quod interim morimur.* Quod pertinet ad id quod interim morimur... (Cic. Mur. 5) : Nam quod legem de ambitu tuli, certe ita tuli, ut etc.

(3) *ad Christi speciem.* Pro eo quod est *in Christi speciem*.

(4) *conversatio.* Nos enim cives coelorum sumus, in terris tantum peregrinamur.

quando, ut cum illo simus et cum illo in aeternis sedibus vivamus, atque in regnis coelestibus gaudeamus, Patrem pro nobis praecatur dicens: *Pater, quos mihi dedisti, volo ut ubi ego fuero et ipsi sint mecum, et videant claritatem quam mihi dedisti, priusquam mundus fieret* (Ioan. xvii, 24). Venturus ad Christi sedem, ad regnum coelestium claritatem, lugere non debet nec plangere, sed potius, secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veri, in profectione hac sua et translatione gaudere.

XXIII. Sic denique invenimus et Enoch translatum esse, qui Deo placuit, sicut in Genesi testatur et loquitur Scriptura divina: *Et placuit Enoch Deo, et non est inventus postmodum, quia Deus illum transtulit* (Gen. v, 24). Hoc fuit placuisse in conspectu Dei (1), de hoc contagio saeculi meruisse transferri. Sed et per Salomonem docet Spiritus Sanctus eos, qui Deo placeant, maturius istinc eximi et citius liberari, ne, dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. *Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum illius. Placita enim erat Deo anima eius. Propter hoc properavit abducere eum de media iniquitate* (Sap. iv, 11, 14). Sic et in Psalmis ad Dominum properat spirituali fide Deo suo anima devota, dicens: *Quam dilectissimae habitationes tuae, Deus virtutum! Desiderat et properat anima mea ad atria Dei* (Ps. lxxxiii, 2).

XXIV. Eius est in mundo diu velle remanere quem mundus oblectat, quem saeculum blandiens atque

(1) *Hoc fuit placuisse*, etc. Intellige: Quia placuit in conspectu Dei, meruit transferri de contagio huius saeculi.

decipiens illecebris terrena voluntatis invitat. Porro, quum mundus oderit Christianum, quid amas eum qui te odit, et non magis sequeris Christum, qui te redemit et diligit? Ioannes in Epistola sua clamat et loquitur (1), et ne, carnalia desideria sectantes, munndum diligamus hortatur: « *Nolite, inquit, diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo; quia omne quod in mundo est, concupiscentia (2) carnis est et concupiscentia oculorum et ambitio saeculi, quae non est a Patre, sed ex concupiscentia mundi. Et mundus transbit et concupiscentia (3) ciuius; qui autem fecerit voluntatem Dei manet in aeternum* » (I Ioan. II, 15). Potius, fratres dilectissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta (4), parati ad omnem voluntatem Dei simus; pavore mortis excluso, immortalitatem quae sequitur cogitemus. Hoc nos ostendamus (5) esse quod credimus, ut neque carorum lugeamus excessum, et quum accersitionis propriae dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum, ipso vocante, veniamus.

XXV. Quod quum semper faciendum fuerit Dei servis, nunc fieri multo magis debet, corridente iam

(1) *clamat et loquitur*. Clamat non inconditam vocem iactans, sed loquens et piano sermone inculcans, et disertis verbis adhortans (A. F. Maunoury).

(2) *concupiscentia carnis... ambitio saeculi*. Etenim bona, quae mortalia pectora urgent, sunt voluptas, divitiae, honores.

(3) *concupiscentia eius*. Ea omnia bona terrena, quae concupisci possunt.

(4) *mente integra... virtute robusta*. Videsis cap. I. “ Mens solida, fides firma, anima devota. ”

(5) *Hoc nos ostendamus esse*, etc. Hos nos ostendamus esse, quos decet christiana fides.

mando, et malorum infestantium turbinibus obsesso; ut, qui cernimus coepisse iam gravia, et scimus. imminere graviora, lucrum maximum computemus si istinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus iam fatigata (1), iam lassa, aedificiis senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si, navigante te, turbida et procellosa tempestas fluctibus violentius excitatis prae-nuntiaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat et labitur, et ruinam sui non iam senectute rerum, sed fine testatur; et tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis quod, exitu maturiore subtractus, ruinis et naufragiis et plagis imminentibus exuaris?

XXVI. Considerandum est, fratres dilectissimi, et identidem cogitandum renuntiasse nos mundo, et tamquam hospites et peregrinos istic interim degere. Amplexatur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc erectos et laqueis saecularibus exsolutos paradiso restituit et regno. Quis non, peregre constitutus, properaret in patriam regredi? Quis non, ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplexi? Patriam nostram paradisum computamus: parentes Patriarchas habere iam coepimus. Quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos

(1) *fatigata*. Fatigatus, qui nimis est operatus; fessus, quem vires deficiunt; lassus, qui omnino operari vel quidpiam agere non potest.

carorum numerus expectat; parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, iam de sua incolumentate secura, et adhuc de nostra sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire quanta et illis et nobis in commune laetitia est! Qualis illic coelestium regnorum voluptas sine timore moriendi! Et cum aeternitate vivendi, quam summa et perpetua felicitas! Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exsultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriā coronatus; triumphantes illic Virgines, quae concupiscentiam carnis et corporis continentiae robore subegerunt; remunerati (1) misericordes, qui alimentis et largitionibus pauperum iustitiae opera fecerunt, qui Dominica praecepta servantes ad coelestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus. Ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis et fidei Dominus Christus aspiciat, datus eis gloriae suae ampliora praemia, quorum circa se (2) fuerint desideria maiora.

(1) *remunerati*. Remunero passive usurpatum legesis etiam apud Tertull. Apol. c. 46: *Facilius statuis remunerantur, quam ad bestias pronuntiantur*.

(2) *circa se*. Pro eo quod est, *de se*. Tacit. l. ii, Annal. 2: *Publica circa bonas artes socordia*. — Quintil. proēm. vi, 6: *Illum alienatae mentis errorem circa solas literas habuit*.



# AD DEMETRIANVM

---

## ARGVMENTVM.

Demetriano Africae proconsuli, contendenti Christianis imputari debere bella, famem et pestem, quibus tum orbis divexabatur, quod ab ipsis Dii non colerentur, pulcre respondet (ubi deduxit mundi senio omnia deteriora fieri), ipsos potius Ethnicos tantarum cladi causam esse; quod Deum non colerent, et Christianos praeterea iniustis persecutionibus agitarent. Deinde, ubi illi exprobravit tormentorum inusitata genera quibus Christianos prae aliis reis torquebat, non ad confessionem, sed ad negationem, deorum impotentiam arguit: tum quod ipsi de se defendere nequeant, atque adeo Demetrianus qui illos vindicabat, ab ipsis potius coli quam ipse eos colere deberet; tum quod a Christianis de obsessis corporibus electi, quid sint ipsi confiteantur. Neque vero minas regum, iacturas opum, et similia mala, quae persecutiones Christianorum divinitus in vindictam comitabantur, ideo vindictas non censer, quod illis etiam communes essent; quandoquidem gaudium iis potius sint omnia illa, quam poena. Proinde, dum tempus est, ad mentem redeat, hortatur, vel saltem metu iudicii et semper ardoris gehennae ignis. Imitatur autem ipse partim Tertulliani Apologeticum, partim librum ad Scapulam; et libri huius disertis verbis mentionem facit Lactantius Firmianus Institut. Divinarum, 1. 5, ac D. Pontius in Vita Cypriani, et Hieron. ad Mag.

(Ex editione Iacobi Pamelii).

I. Oblatrantem (1) te, et adversus Deum, qui unus et verus est, ore sacrilego et verbis impiis obstre-

(1) *Oblatrantem.* Ex *ob et latro, as.* — Senec. III, de Ira, c. ult.: *Quid illum oblatrantem tibi exterrere tentas.*

pentem, frequenter, Demetriane, contempseram, verecundius ac melius existimans errantis imperitiam silentio spernere , quam loquendo dementis insaniam provocare. Nec hoc sine magisterii (1) divini et numinis auctoritate faciebam , cum scriptum sit: *In aures imprudentis noli quidpiam dicere, ne quando audierit, irrideat sensatos (2) sermones tuos* (Prov. xxiii, 9). Et iterum: *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne similis fias illi* (Prov. xxvi, 4). Et sanctum quoque iubeamur intra conscientiam (3) nostram tenere , nec inculcandum porcis et canibus exponere, loquente Domino et dicente: *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos; ne conculcent ea pedibus et conversi clidant vos* (Matt. vii, 6). Nam cum ad me saepe studio magis contradicendi , quam voto (4) discendi venires, et clamosis (5) vocibus personans malles tua empudenter ingerere, quam nostra patienter audire ; ineptum videbatur congredi tecum , quando facilius isset et levius turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quam tuam rabiem tractatibus (6) coercere. Certe et labor irritus et nullus effectus offerre lumen caeco, sermonem surdo, sapientiam bruto: cum nec sentire brutus possit, nec caecus lumen admittere, nec surdus audire. Haec considerans saepe conticui, et impatientem patientia vici ; cum nec docere

(1) *magisterii.* Id est, consilii, monitus. — Plaut. Mostell. 32: *Virtute id factum et magisterio tuo.*

(2) *sensatos.* Pro eo quod est *sapientes*.

(3) *conscientiam.* Hoc est, *in animo, in mente.*

(4) *voto.* Pro eo quod est *desiderio*.

(5) *clamosis.* Stat. 4, silv. iv, v. 18: *Urbs clamosa.*

(6) *tractatibus.* Disputationibus.

indocilem possem, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. Sed enim (1) cum dicas plurimos conqueri, quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames saeviat, quodque imbres et pluvia serena longa suspendant, nobis (2) imputari; tacere ultra non oportet, ne iam non verecundiae, sed diffidentiae esse incipiat, quod tacemus; et dum criminaciones falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere (3). Respondeo igitur et tibi, Demetriane, pariter et caeteris, quos tu forsitan concitasti, et, adversum nos odia tuis maledicis vocibus seminando, comites tibi plures radicis atque originis tuae pullulatione (4) fecisti, quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem (5); nam qui ad malum motus est fallente mendacio, multo magis ad bonum movebitur, veritate cogente.

II. Dixisti per nos (6) fieri, et quod nobis (7) debeant imputari omnia ista, quibus nunc mundus quatitur et urgetur, quod Dii vestri a nobis non collantur. Qua in parte (quia ignarus divinae cognitionis et veritatis alienus es) illud primo in loco scire debes, senuisse iam mundum, non illis viribus

(1) *enim*. Pro eo quod est *vero*. — Caesar I, Bel. Gall. 7: *Ille enim revocatus resistere, ac se manu defendere coepit*.

(2) *nobis*. Adde *Christianis*.

(3) *crimen agnoscere*. Intellige, videamur fateri nos esse horum malorum causam.

(4) *nullulatione*. Nova prorsus vox est a *nullulo*.

(5) *rationem*. Veritatem.

(6) *Per nos*. Pro eo quod est, *propter nos*. — Plaut. Aulul. II, 1, 12: *Neque occultum id haberi, neque per metum missari*.

(7) *Quod nobis*. De *quod* Videsis De Mortalitate, cap. xiv, ad. *amplecti quod*.

stare, quibus prius steterat, nec vigore et robore eo valere, quo antea praevalebat (1). Hoc etiam nobis tacentibus et nulla de scripturis sanctis praedicatio- nibusque divinis documenta promentibus, mundus ipse iam loquitur, et occasum sui rerum labentium probatione testatur. Non hieme nutrientis seminibus tanta imbrum copia est; non frugibus aestate tor rendis solis tanta flagrantia est, nec sic verna de temperie (2) sua sata laeta sunt, nec adeo arboreis foetibus autumna (3) foecunda sunt. Minus de effossis et fatigatis montibus eruuntur marmorum crustae, minus argenti et auri opes suggerunt (4) exhausta iam metalla: et pauperes venae breviantur in dies singulos et decrescunt: deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putasne tu tantum posse substantiam rei senescentis existere, quantum prius potuit novella adhuc et vegeta inventute pollere? Minuatur necesse est quidquid fine iam proximo in occidua et extrema devergit (5). Sic sol in occasu suo radios minus claro et igneo splendore iaculatur, sic, declinante iam cursu, exoletis (6) cornibus luna tenuatur; et arbor quae fuerat ante viridis, et fertilis

(1) *praevalebat*. Pro simplici *valebat*.

(2) *temperie*. Temperata aëris et coeli ratio, quum neque frigus neque aestus nimius est.

(3) *autumna*. Non. II, n. 22. Varronis exempla affert, qui genere neutro adhibuit autumnum: *Etesiae nberius flaverant, et Autumnum ventosum fuerat*.

(4) *suggerunt*. Suppeditant.

(5) *devergit*. Idem ac *vergo*. — Apul. de Deo Socrat.: *terrena devergunt pondere*.

(6) *exoletis*. Quae senectute, ut ita dieam, crescere desierunt.

arescentibus ramis, fit postmodum sterili senectute deformis. Et fons, qui exundantibus prius venis largiter profluebat, senectute deficiens vix modico sudore destillat. Haec sententia mundo data est: haec Dei lex est, ut omnia orta occidant, et aucta sene- scant; et infirmentur fortia, et magna minuantur, et, cum infirmata et diminuta fuerint, finiantur. Christianis imputas, quod (1) minuantur singula, mundo senescente: quid si et senes imputent Christianis, quod minus valeant in senectute? Quod non perinde ut prius vigeant auditu aurium, cursu pedum, oculorum acie, virium robore, mole membrorum? Et cum olim ultra octingentos et nongentos annos vita hominum longaeva procederet, vix nunc possit ad centenarium numerum pervenire! Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec aetas in senectute desinit, sed incipit a senectute: sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat, sic quodcumque nunc nascitur mundi, ipsius senectute, degenerat, ut nemo mirari debeat singula in mundo coepisse deficere, quando totus ipse iam mundus in defectione sit et in fine.

III. Quod autem bella crebrius continuant, quod sterilitas et fames sollicitudinem cumulant, quod saevientibus morbis valetudo (2) frangitur, quod humanum genus luis populatione vastatur: et hoc scias esse praedictum, in novissimis temporibus multiplicari mala, et adversa variari, et appropinquante iam iudicii die, magis ac magis in plagas generis humani

(1) *imputas, quod.* Videsis supra adnot. *Quod nobis.*

(2) *valetudo.* Videsis de Mortal. cap. VIII, ad. *valetudo.*

censuram (1) Dei indignantis accendi. Non enim, sicut tua falsa querimonia et imperitia veritatis ignara iactat (2) et clamitat, ista accidentunt, quod Dii vestri a nobis non colantur; sed quod a vobis non colatur Deus. Nam cum Ipse sit mundi Dominus et rector, et cuncta arbitrio Eius et nutu gerantur, nec quidquam fieri possit, nisi quod aut fecerit, aut fieri Ipse permiserit, utique quando ea fiunt, quae iram Dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt, a quibus Deus colitur; sed delictis et meritis vestris irrogantur, a quibus Deus omnino nec quaeritur nec timetur, nec, relictis vanis superstitionibus, religio vera cognoscitur, ut, qui Deus unus est omnibus, unus colatur ab omnibus et rogetur. Ipsum denique audi loquentem, Ipsum voce divina instruentem nos pariter ac monentem. *Dominum tuum adorabis*, inquit, *et illi soli servies* (Deut. vi, 13). Et iterum: *Non erunt tibi Dii alii absque me* (Exod. xx, 3). Et iterum: *Nolite ambulare post Deos alienos, ut serviatis eis, et ne adoraveritis eos; et ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos vos* (Ier. xxv, 6). Propheta item Spiritu Sancto plenus contestatur (3) et denunciat iram Dei, dicens: *Haec dicit Dominus Deus omnipotens: Eo quod domus mea deserta est, vos autem sectamini (4) unusquisque in domum suam, propterea abstinebit coelum a rore, et terra subtrahet procreationes*

(1) *censuram*. Id est, *iram Dei indignantis*.

(2) *iactat*. Alii legunt *latrat*.

(3) *contestatur*. Videsis De Mortalitate, cap. XX, ad. *contesterer*.

(4) *sectamini*, etc. Id est, *unusquisque magnam habet domus sua curam*.

*suas, et inducam gladium super terram, et super frumentum, et super vinum, et super oleum, et super homines, et super pecora, et super omnes labores manuum eorum* (Agg. I, 9). Item propheta alius repetit (1) et dicit: *Et pluam super unam civitatem, et super aliam non pluam. Pars una compluetur* (2), et pars, *super quam non pluero, arefiet. Et congregabuntur duae et tres civitates in unam civitatem potandae aquae causa, nec satiabuntur; et non convertimini ad me, dicit Dominus* (Amos. IV, 7).

IV. Indignatur ecce Dominus, et irascitur, et quod ad eum non convertamini, comminatur: et tu miraris aut quereris in hac obstinatione et contemptu vestro, si rara desuper pluvia descendat, si terra situ pulveris squaleat, si vix ieunias et pallidas herbas sterilis gleba producat, si vineam debilitet grando caedens, si oleam detruncet turbo subvertens, si fontem siccitas statuat (3), aërem pestilens aura corrumpat, hominem morbida valetudo (4) consumat; cum omnia ista peccatis provocantibus veniant, et plus exacerbetur Deus, quando nihil talia et tanta proficiant? Fieri enim ista vel ad disciplinam consumacium, vel ad poenam malorum, declarat in

(1) *repetit.* Pro eo quod est *iterare* Cic. I, De nat. Deorum, cap. 7: *Quamobrem, Vellei, nisi molestum est, repepe quae coeperas. Repetam, inquit.*

(2) *compluetur.* *Compluo* idem ac *pluo*. Passivo tamen sensu raro usurpatum video.

(3) *statuat.* Statuere pro eo quo est *immotum facere, reddere, sistere*, videsis apud Propertium, IV, eleg. 9: *et statuit fessos fessus et ipse boves.*

(4) *morbida.* A *morbo*. — *Valetudo.* Videsis supra cap. III.

scripturis sanctis idem Deus dicens: *Sinc causa percussi filios vestros, disciplinam non exceperunt* (Hier. ii, 30). Et Propheta devotus ac dicatus Deo, ad haec eadem respondet et dicit: *Verberasti eos nec doluerunt: flagellasti eos nec voluerunt accipere disciplinam* (Hier. v, 3). Ecce irrogantur divinitus plагae, et nullus Dei metus est. Ecce verbera desperа, et flagella non desunt et trepidatio nulla, nulla formido est.

V. Quid si non intercederet rebus humanis vel ista censura? Quanto adhuc maior in hominibus esset audacia facinorum impunitate secura? Quereris quod minus nunc tibi uberes fontes, et aurae salubres et frequens pluvia, et fertilis terra obsequium praebeant; quod non ita (1) utilitatibus tuis et voluptatibus elementa deserviant. Tu enim Deo servis, per quem tibi cuncta deserviunt? Tu famularis illi, cuius nutu tibi universa famulantur? Ipse de servo tuo exigis servitutem, et homo hominem parere tibi et obedire compellis; et, cum sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, aequali iure et pari lege vel veniatur in istum mundum, vel de mundo postmodum recedatur, tamen nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur, nisi ad voluntatis (2) obsequium pareatur, imperiosus et nimius servitutis exactor, flagellas, verberas, fame, siti, nuditate, et ferro frequenter et carcere affligis, et crucias; et non agnoscis, miser,

(1) *non ita.* Pro eo quod est, *non amplius, non valde, non multum.*

(2) *voluntatis.* Sup. *tuae.*

Dominum Deum tuum, cum sic exerceas ipse in homine dominatum?

VI. Merito ergo, incurvantibus plagis, non desunt Dei flagella, nec verbera; quae cum nihil istic promoveant (1), nec ad Deum singulos tanto cladium terrore convertant, manet (2) postmodum carcer aeternus, et iugis flamma, et poena perpetua. Nec audiatur illic rogantium gemitus, quia nec hic Dei indignantis terror auditus est, qui per Prophetam clamat et dicit: *Audite sermonem Domini, filii Israël, quia iudicium est Domini adversus incolas terrae, eo quod neque misericordia, neque veritas, neque agnitus Dei sit super terram, sed execratio, et mendacium, et caedes, et furtum, et adulterium diffusum est super terram, sanguinem sanguini supermiscent* (3). Idcirco terra lugebit cum universis malis suis, cum bestiis agri, cum serpentibus terrae, cum volucribus coeli, et deficient pisces maris, ut nemo iudicet, nemo revincat (4) (Osea, iv, 1). Indignari se Deus dicit, quod agnitus Dei non sit in terris, et Deus non agnoscitur nec timetur. Delicta mendaciorum, libidinum, fraudum, crudelitatis, impietatis, furoris, Deus increpat et incusat, et ad innocentiam nemo convertitur. Fiunt ecce, quae verbis

(1) *promoveant*. Proficiant.

(2) *manet*. Manere eleganter dicuntur, quae certo futura sunt, et quae imminent, presertim in adversis (Forcell.).

(3) *supermiscent*. Pro simplici *miscent*.

(4) *nemo iudicat, nemo revincat*. Vulgata: *Verumtamen unusquisque nec iudicet; nec arguatur vir.* — Qui enim praecepta et monita Dei spernit, non meretur amplius moneri et argui.

Dei ante praedicta sunt, nec quisquam fide (1) praesentium, ut in futurum consulat, admonetur. Inter ipsa adversa, quibus vix coarctata et conclusa anima respirat, vacat malos esse, et in periculis tantis non de se magis, sed de altero iudicare.

VII. Indignamini indignari Deum, quasi aliquid boni male vivendo mereamini, quasi non omnia ista, quae accidunt, minora adhuc sint et leviora peccatis vestris. Qui alios iudicas, aliquando esto tui iudex, conscientiae tuae latebras intuere, immo (quia nullus iam delinquendi vel pudor est, et sic peccatur, quasi magis per ipsa peccata placeatur) qui perspicuus et nudus (2) a cunctis videris, et ipse te respice. Aut enim superbia inflatus es, aut avaritia rapax, aut iracundia saevus, aut alea prodigus, aut violentia temulentus, aut livore invidus, aut crudelitate violentus: et miraris in poenas generis humani iram Dei crescere, cum crescat quotidie quod puniatur? Hostem quereris exsurgere, quasi, et si hostis desit, esse pax inter ipsas togas (3) possit. Hostem quereris exsurgere; quasi non, etsi externa de barbaris arma et pericula comprimantur, ferocius intus et gravius de calumniis, et iniuriis potentium civium domesticae impugnationis tela grassentur. De sterilitate

(1) *fide praesentium*. Quanvis, quae in praesentiarum accidunt, fidem faciant de verbo Dei, nemo tamen sibi consulit in futurum.

(2) *perspicuus et nudus*. Adloquitur Demetrianum. — Qui enim in excelsiori dignitate est positus, in se omnium oculos convertit, et qualis ipse sit, facilius conspicitur.

(3) *inter ipsas togas*. Explicans hoc de bellis civilibus; videtur alludere ad illud Tertull. lib. de *Pallio*: *Plus togae laesere Rempublicam, quam loricae* (Iacobus Pamelinus).

aut fame quereris ; quasi famem maiorem siccitas quam rapacitas faciat , quasi non de captatis (1) annonarum incrementis et priorum cumulis flagrantior inopiae ardor excrescat. Quereris claudi imbris coelum : cum sic horrea claudantur in terris. Quereris minus nasci, quasi quae nata sunt, indigentibus praebeantur. Pestem et luem criminariis ; cum peste ipsa et lue vel detecta sunt, vel aucta crimina singulorum ; dum nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina. Idem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarii, fugientes morientium funera, et appetentes spolia mortuorum, ut appareat in aegritudine sua miseros ad hoc forsitan derelictos esse, ne possint, dum curantur, evadere. Nam perire aegrum voluit, qui censem perreuntis invadit. Tantus cladium terror dare non potest innocentiae disciplinam , et inter populum frequenti strage morientem nemo considerat et se esse mortalem. Passim discurritur , rapitur , occupatur. Praedandi dissimulatio, nulla cunctatio , nulla formido est. Quasi liceat, quasi oporteat, quasi ille, qui non rapit, damnum et dispendium proprium sentiat ; sic unusquisque rapere festinat. In latronibus est utcumque aliqua scelerum verecundia ; avias fauces et desertas solitudines deligunt , et sic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris et nocte veletur. Avaritia palam saevit, et, ipsa audacia sua tuta , in fori luce abruptae cupiditatis arma prostituit. Inde falsarii, inde benefici, inde in media

(1) *de captatis.* Ob callide et diligenter quaesita annonarum incrementa.

civitate sicarii, tam ad peccandum praecipites, quam impune peccantes. A nocente crimen admittitur, nec innocens, qui vindicet, invenitur. De accusatore vel iudice metus nullus. Impunitatem consequuntur mali, dum modesti tacent, timent consciii, veneunt iudicaturi. Et idcirco per prophetam divino spiritu et instinctu rei veritas promitur, et certa et manifesta ratio monstratur; Deum posse adversa prohibere, sed ne ille subveniat, merita peccantium facere: *Num quid, ait, non valet manus Dei, ut salvos vos faciat, aut gravavit aurem, ut non exaudiat? Sed peccata vestra inter vos et Deum separant. Et propter delicta vestra avertit faciem suam a vobis, ne misereatur* (Isai LIX, 1, 2). Peccata igitur et delicta reputentur, conscientiae vulnera cogitentur, et desinent unusquisque de Deo vel de nobis conqueri, si, quod patitur, intelligat se mereri.

VIII. Ecce id ipsum quale est, unde nobis vobiscum maxime sermo est, quod nos infestatis innoxios, quod in contumeliam Dei impugnatis, atque opprimitis Dei servos. Parum est, quod furentium varietate vitiorum, quod iniuitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum vita vestra maculatur, quod superstitionibus falsis religio vera subvertitur, quod Deus omnino nec quaeritur, nec timetur: adhuc insuper Dei servos, et maiestati a nomini eius dicatos iniustis persecutionibus agitatis. Satis non est, quod ipse tu Deum non colis; adhuc insuper eos, qui colunt, sacrilega infestatione perseveris. Deum nec colis, nec coli omnino permittis; et cum caeteri, qui non tantum ista inepta idola, et manu hominis facta simulacra, sed et portenta

quaedam et monstra venerantur, tibi placeant, solus displicet Dei cultor. Fumant ubique in templis vestris hostiarum busta (1), et rogi pecorum, et Dei altaria vel nulla sunt, vel occulta. Crocodili (2) et cynocephali et lapides, et serpentes a vobis coluntur, et Deus solus in terris aut non colitur, aut non est impune quod colitur (3). Innoxios, iustos, Deo caros domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. Nec saltem contentus es (4) dolorum nostrorum compendio et simplici ac veloci brevitate poenarum; admoveas laniandis corporibus longa tormenta, multiplices lacerandis visceribus numerosa suppicia, nec feritas atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis; excogitat novas poenas ingeniosa crudelitas. Quae haec est insatiabilis carnificinae rabies? Quae inexplebilis libido saevitiae? Quin potius elige

(1) *hostiarum busta*. Id est, *hostiarum combustiones vel ipsae hostiae combustae*.

(2) *Crocodili, et cynocephali et lapides et serpentes*. Monstra Deorum Aegyptiorum quae fuerint, explicat. Crocodili autem meminit Tertull. 2 contra Marcionem, et Cynocephali, id est, canini capitum Dei, in Apol. 2 haud procul ab initio. De omnibus autem his ita Athenagoras Apol. pro Christianis: *Aegyptii feles etiam et crocodilos et serpentes et aspides et canes pro Diis habent.....* Atqui Cynocephali figura colebatur ab Aegyptiis Annulis, Osiridis regis filius, eo quod talibus insignibus uteretur, unde et Aeneid. 8, vocatur a Virgilio *Latrator Anubis*. Quodque turpissimum est, testatur Minutius Felix in Octavio, etiam crepitum ventris ab illis pro Deo habitum (Iacobus Pamelius).

(3) *non est impune quod colitur*. Hoc est, *non colitur impune*. Romani tunc, Decio imperante, saeve Christianos insectabantur.

(4) *Nec saltem contentus es*. Hinc patet fuisse Demetrianum Africæ praesideim sive proconsulem, qui Christianos persequendi accepisset potestatem. Imitatur autem fere ad verbum Tertull. tum in Apolog. tum ad Scapulam (Pamelius).

tibi alterum de duobus : Christianum esse aut est crimen, aut non est. Si crimen est, quid non interficis confitentem? Si crimen non est, quid persequeris innocentem? Torqueri enim debui si negarem. Si poenam tuam metuens, id, quod prius fueram, et quod Deos tuos non colueram, mendacio fallente colerem, tunc torquendus fuisse, tunc ad confessionem criminis vi doloris adigendus; sicut in coeteris quaestionibus torquentur rei, qui se negant crimine, quo accusantur, teneri, ut facinoris veritas, quae indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc vero, cum sponte confitear et clamem, et crebris ac repetitis identidem vocibus, Christianum me esse conteste (1); quid tormenta admoveas confitenti, et Deos tuos non in abditis et secretis locis, sed palam, sed publice, sed in foro ipso, magistratibus et praesidiibus audientibus, destruenti, ut, etsi parum fuerat, quod in me prius criminabar, creverit, quod et odisse et punire plus debeas? Quod dum me Christianum celebri loco, et populo circumstante, pronuncio, et vos et Deos vestros clara et publica praedicatione confundo.

IX. Quid te ad infirmitatem corporis vertis? Quid cum terrena carnis imbecillitate contendis? Cum animi vigore congregdere, virtutem mentis infringe, fidem destrue, disceptatione si potes vince, vince ratione. Vel si quid diis tuis numinis et potestatis (2) est, ipsi in ultionem suam surgant, ipsi se sua maiestate defendant: aut quid praestare colentibus

(1) *contester*. Affirmem.

(2) *numinis et potestatis*. Numen est voluntas, vis et potentia; potestas est facultas et copia agentis.

possunt, qui se de non colentibus vindicare non possunt? Nam si eo, qui vindicatur, pluris est ille qui vindicat, tu diis tuis maior es. Si autem iis, quos colis, maior es, non tu illos colere, sed ab ipsis potius coli debes, et timeri, ut dominus. Sic illos laesos ultio vestra defendit, quomodo et clausos, ne pereant, tutela vestra custodit. Pudeat te eos colere, quos ipse defendis; pudeat tutelam de iis sperare, quos tu ipse tueris. Oh, si audire eos velles, et videre, quando a nobis adiurantur (1), et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus eiiciuntur, quando eiulantes et gementes voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes, venturum iudicium confitentur. Veni et cognosce vera esse quae dicimus. Et quia sic deos colere te dicas, vel ipsis, quos colis, crede: aut si volueris et tibi credere, de te (2) ipso loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus obsessit, qui nunc mentem tuam ignorantiae nocte coecavit: videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas; timeri ab eis, quos tu adoras. Videbis sub manu nostra stare vinctos, et tremere captivos, quos tu suscipis et veneraris ut dominos. Certe vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris et audieris Deos tuos, quid sint,

(2) *adiurantur*. Adiurare apud latinos scriptores etiam occurrit pro eo quod est *obtestari iuramento*, etiam invocatione rei sacrae ant carae interposita. Hinc Ecclesiastici scriptores *adiurari daemones* dixerunt, quum invocato Dei nomine et dictis precibus eos torquebant atque a corporibus eiiciebant. Tertull. in Apologia inter *adiurare* et *deierare* discrimen faciens, ait: *Daemones, id est, genios adiurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus; non deierare, ut illis honorem dirinitatis conferamus.*

(3) *De te ipso*. Ex te ipso.

interrogatione nostra statim prodere, et, praesentibus licet vobis, praestigias illas, et fallacias suas non posse celare. Quae ergo mentis ignavia est, immo quae desipientium coeca et stulta dementia ad lucem de tenebris nolle venire? Et mortis aeternae laqueis vinctos, spem nolle immortalitatis excipere, non metuere Deum comminantem et dicentem: *Sacrificans eradicabitur, nisi Deo soli?* (Exod. 21). Et iterum: *Adoraverunt eos, quos fecerunt digiti eorum, et incurvatus est homo, et humiliatus est vir, et non laxabo illis* (1) (Isai. II, 8). Quid te ad falsos deos humilias et inclinas? Quid ante inepta simulacra et figmenta terrena captiva corpus incurvas? Rectum te Deus fecit, et cum caetera animalia prona, et ad terram situ vergente (2), depressa sint, tibi sublimis status, et ad coelum atque ad Deum sursum vultus erectus est. Illuc intuere, illic oculos tuos erige, in supernis Deum quaere. Ut carere inferis possis, ad alta et coelestia suspensum pectus attolle. Quid te in lapsum mortis cum serpente, quem colis, sternis? Quid in ruinam diaboli per ipsum et cum ipso cadis? Sublimitatem serva, qua natus es, persevera talis, qualis a Deo factus es. Cum statu oris (3) et corporis animum tuum statue. Ut cognoscere Deum possis, te ante cognosce. Relinque idola, quae humanus error invenit. Ad Deum convertere, quem si imploraveris, subvenit. Christo crede, quem vivificantis ac reparandis nobis pater filium misit. Laedere

(1) *laxabo illis.* Dimittam illis.

(2) *situ vergente.* Intellige: ad terram pulvere et sordibus coopertam.

(3) *cum statu oris, etc.* Nam *rectum te Deus fecit.*

servos Dei et Christi persecutionibus tuis desine, quos laesos ultio divina defendit.

X. Inde est enim quod nemo nostrum, quando apprehenditur, reluctatur; nec se adversus iniustum violentiam vestram, quamvis nimius et copiosus noster sit populus, ulciscitur. Patientes facit de secutura ultiō securitas. Innocentes nocentibus cedunt. Insontes poenis et cruciatibus acquiescunt, certi et fidentes quod inultum non remaneat, quodcumque perpetimur, quantoque maior fuerit persecutionis iniuria, tanto et iustior fiat et gravior pro persecutione vindicta. Nec unquam impiorum scelere in nostrum nomen exsurgitur, ut non statim divinitus vindicta comitetur. Ut memorias taceamus antiquas, et ultiōes pro cultoribus Dei saepe repetitas (1) nullo vocis praeconio revolvamus; documentum recentis rei satis est, quod sic celeriter, quodque in tanta celeritate sic granditer (2) nuper secuta defensio est, ruinis regum (3), iacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum. Nec hoc casu accidisse aliquis existimet, aut fuisse fortuitum putet, cum iam pridem Scriptura divina posuerit et dixerit: *Mihi vindictam; ego retribuam, dicit Dominus:* et iterum Spiritus Sanctus praemoneat et dicat: *Ne dixeras: ulciscar me de inimico meo, sed expecta Dominum, ut tibi auxilio sit.* Unde clarum est atque

(1) *repetitas.* Videsis cap. III ad *repetit.*

(2) *granditer.* Rare occurrit. Habes tamen *grandius a granditer* apud Ovid. Heroid. ep. 15: *Nec plus Alcaeus consors patriaeque liraeque, Laudis habet, quamvis grandius ille sonat:* h. e. sublimiore stilo versus faciat.

(3) *ruinis regum.* Loquitur de interfectione Gordianorum, Philipporum, Decii imperatorum.

manifestum , quia non per nos (1) , sed pro nobis accidunt cuncta ista, quae de Dei indignatione descendunt.

XI. Nec ideo quis putet Christianos iis, quae accidunt, non vindicari, quod et ipsi videantur accidentium incursatione (2) perstringi. Poenam de adversis mundi ille sentit , cui et laetitia et gloria omnis in mundo est. Ille moeret et deflet , si sibi male sit in saeculo , cui bene non potest esse post saeculum ; cui vivendi fructus omnis hic capitur ; cuius hic solatium omne finitur ; cuius caduca et brevis vita hic aliquam dulcedinem computat et voluptatem , quando istinc exesserit , poena iam sola superest ad dolorem. Caeterum nullus iis dolor est de incursatione malorum praesentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur adversis, nec frangimur , nec dolemus , neque in ulla aut rerum clade, aut corporum valetudine (3) mussitamus (4), spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipsa, quae vos cruciant et fatigant, probari (5) et corroborari nos scimus et fidimus. Putatis nos adversa vobiscum aequaliter perpeti, cum eadem adversa videatis a nobis et vobis non aequaliter sustineri ? Apud vos impatientia clamosa semper et querula est; apud nos fortis et religiosa patientia , quieta

(1) *non per nos.* Non causa nostri. Videsis supra cap. II ad. *per nos.*

(2) *incursatione.* Pro eo quod est *incursione.* Occurrit etiam apud Q. Non.

(3) *valetudo.* Videsis supra cap. III.

(4) *mussitamus.* Videsis De Mortalitate, cap. IX.

(5) *probari.* Videsis De Mortalitate, cap. I.

semper et semper in Deum grata est: nec quidquam istic laetum aut prosperum sibi vindicat, sed mitis et lenis, et contra omnes fluctuantis mundi turbines stabilis, divinae pollicitationibus tempus exspectat. Quamdiu enim corpus hoc permanet, commune cum caeteris sit necesse est, et corporalis conditio communis; nec separari generi humano ab invicem datur, nisi istinc de saeculo recedatur. Intra unam domum boni et mali interim continemur: quidquid intra domum evenerit, pari sorte perpetimur, donec, aevi temporalis fine completo, ad aeterna vel mortis vel immortalitatis hospitia dividamur. Non ergo idcirco compares vobis et aequales sumus, quia in isto adhuc mundo et carne hac constituti mundi et carnis incommoda vobiscum pariter incurrimus: nam cum in sensu doloris fit omne quod punit, manifestum est eum non esse participem poenae tuae, quem tecum videoas non dolere.

XII. Viget apud nos spei robur et firmitas fidei, et inter ipsas saeculi labentis ruinas erecta mens est, et immobilis virtus, et nunquam non laeta patientia et de Deo suo semper anima secura, sicut per prophetam Spiritus Sanctus loquitur et hortatur, spei ac fidei nostrae firmitatem coelesti voce corroborans: *Ficus, inquit, non afferet fructum, et non erunt nascentia in vineis. Mentietur opus olivae, et campi non praestabunt cibum. Deficient a pabulo oves, et non erunt in praesepibus boves.* Ego autem in Domino exultabo et gaudebo in Deo salutari meo (Abac. v, 17). Dei hominem, et cultorem Dei subnixum spei veritate, et fidei stabilitate fundatum, negat mundi huius et saeculi infestationibus commoveri.

Vinea licet fallat, et olea decipiat, et herbis siccitate morientibus aestuans campus arescat, quid hoc ad Christianos? Quid ad Dei servos, quos paradius invitat? Quos gratia omnis et copia regni coelestis exspectat? Exsultant semper in Domino, et laetantur, et gaudent in Deo suo; et mala atque adversa mundi fortiter tolerant, dum dona et prospera futura prospectant. Nam qui, exposita (1) nativitate terrena (2), spiritu recreati et renati sumus, nec iam mundo, sed Deo vivimus, non nisi cum ad Deum venerimus, Dei munera et promissa capiemus; et tamen pro arcendis hostibus et imbris impetrandis, et vel auferendis vel temperandis adversis, rogamus semper et preces fundimus: et pro pace ac salute vestra propitiantes et placantes Deum, diebus ac noctibus iugiter atque instanter oramus.

XIII. Nemo igitur sibi blandiatur, quod nobis et profanis Dei cultoribus et Deo adversantibus, sit interim per aequalitatem carnis et corporis laborum saecularium conditio communis, ut ex hoc opinetur non omnia ista, quae accidunt, vobis irrogari: cum Dei ipsius praedicatione et prophetica contestatione ante praedictum sit, venturam super iniustos iram Dei; persecutioes, quae nos humanitus laederent, non defuturas, sed et ultiones, quae laesos divinitus defenderent, secuturas. Et quanta sunt quae istic pro nobis interim fiunt? In exemplum aliquid datur, ut Dei vindicis ira noscatur: caeterum retro est iudicij dies, quem Scriptura Sancta denunciat,

(1) *exposita*. Hoc est, expoliata, reiecta.

(2) *Nativitate terrena*. Videsis De Mortalitate, cap. VIII, ad. *primae nativitatis*.

dicens: *Ululate, proximus est enim dies Domini, et obtritio a Deo aderit* (Isai. XIII, 6). Ecce enim dies Domini venit insanabilis indignationis et irae, ponere orbem terrae desertum, et peccatores perdere ex eo. Et iterum: *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus, eruntque omnes alienigenae, et omnes iniqui stipula: et succendet illos adveniens dies, dicit Dominus* (Malach. IV, 1). Succendi et cremari alienigenas praecinit Dominus, id est, alienos a divino genere et profanos, spiritualiter non renatos, nec Dei filios factos. Evadere enim eos solos posse, qui renati et signo Christi signati fuerint, alio in loco Deus loquitur, quando ad vastationem mundi et interitum generis humani Angelos suos mittens, gravius in ultimo comminatur, dicens: *Vadite et cedite, et nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri senioris aut iuvenis, et virginis, et parvulos et mulieres interficite, ut perdeantur. Omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis* (Ezech. IX, 4). Quod autem sit hoc signum, et quia in parte corporis positum, manifestat alio in loco Deus, dicens: *Transi per medium Hierusalem, et notabis signum super frontes virorum qui ingemunt, et moerent ob iniquitates, quae fiunt in medio ipsorum.* Et quod ad passionem et sanguinem Christi pertineat hoc signum, et ille salvus atque incolumis reservetur, quisquis in hoc signo invenitur, item Dei testimonio comprobatur dicentis: *Et erit sanguis in signo vobis super domos, in quibus vos eritis: et video sanguinem et protegam vos, et non erit in vos plaga diminutionis, cum percutiam terram Aegypti* (Exod. XII, 13). Quod ante occiso

agno praecedit in imagine, impletur in Christo, sequuta postmodum veritate. Ut, illic percusso Aegypto, Iudaicus populus evadere non nisi sanguine et signo agni potuit, ita, et cum vastari coeperit mundus et percuti, quisquis in sanguine et signo Christi inventus fuerit, solus evadet.

XIV. Respicite itaque dum tempus est ad veram et aeternam salutem: et quia iam mundi finis in proximo est, ad Deum mentes vestras Dei timore convertite. Nec vos delectet in saeculo inter iustos et mites impotens ista et vana dominatio, quando et in agro inter cultas et fertiles segetes lolium et avena dominetur. Nec dicatis mala accidere, quia dii vestri a nobis non colantur, sed sciatis hanc iram Dei esse censuram (1), ut qui beneficiis non intelligitur, vel plagis intelligatur. Deum vel sero quaerite, quia iampridem per prophetam Deus praemonens hortatur, et dicit: *Quaerite Deum, et vivet anima vestra* (Amos. v, 4). Deum vel sero cognoscite, quia Christus adveniens hoc admonet et docet dicens: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum* (Ioan. 27). Credite illi qui omnino non fallit. Credite illi qui haec omnia futura praedixit. Credite illi qui credentibus praemium vitae aeternae dabit. Credite illi, qui incredulis aeterna supplicia gehennae ardoribus irrogabit.

XV. Quae tunc erit fidei gloria, quae poena perfidiae, cum iudicii dies venerit? Quae laetitia credentium.

(1) *Censuram. Animadversionem.*

quae moestitia perfidorum (1): noluisse istic prius credere, et, ut credant (2), iam redire non posse? Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax poena; nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animae infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic a nobis semper, qui hic nos spectavit ad tempus; et in persecutionibus factis oculorum crudelium brevis fructus perpetua visione pensabitur, secundum Scripturae Sanctae fidem dicentis: *Vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur et erunt ad visionem universae carnis* (3) (Marc. ix, 43). Et iterum: *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, dicentes inter se, poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improprietatis. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quo modo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors eorum est? Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis. Lassati sumus in iniquitatis via et perditionis, et ambulavimus solitudines*

(1) *Perfidorum.* Eorum qui fidem Christo non praebent.

(2) *ut credant iam redire non posse.* Haec est enim eorum, qui aeterno igne comburuntur, conditio, qua vellent utique in vitam redire, ut credant, sed iam non possunt.

(3) *ad visionem universae carnis.* Omnes eos videbunt, ut sint omnibus documentum iustitiae Dei.

*difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum iactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra* (Sapient. v, 1). Erit tunc sine fructu poenitentiae dolor poenae, inanis ploratio, et inefficax deprecatio. In aeternam poenam sero credent, qui in vitam aeternam credere noluerunt. Securitati igitur et vitae, dum licet, providete.

XVI. Offerimus vobis animi et consilii nostri salutare munus. Et quia odisse non licet nobis, et sic Deo plus placemus, dum nullam pro iniuria vicem reddimus, hortamur (1), dum facultas adest, dum adhuc aliquid de saeculo superest, Deo satisfacere, et ad verae religionis candidam lucem de profunda et tenebrosa nocte superstitionis emergere. Non invidemus commodis vestris, nec beneficia divina celeramus. Odiis vestris benevolentiam reddimus; et pro tormentis et suppliciis, quae nobis inferuntur, salutis itinera monstramus. Credite et vivite; et qui nos ad tempus persequimini, in aeternum gaudete nobiscum. Quando istinc excessum fuerit, nullus iam poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus, hic vita aut amittitur aut tenetur; hic saluti aeternae cultu Dei et fructu fidei providetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis, quominus veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti poenitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam Dei aditus: et quaerentibus atque intelligentibus ad veritatem facilis accessus est. Tu, sub ipso licet exitu

(1) *Hortamur..... satisfacere.* Hortor, aris, cum infinito Corn. Nep. in Phoc., 1: *Cum munera repudiaret, legatique hortarentur accipere.*

et vitae temporalis occasu, pro delictis roges (1); et Deum, qui unus et verus est, confessione et fide agnitionis eius implores. Venia confitenti datur, et credenti indulgentia salutaris de divina pietatis conceditur, et ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiae suae tribuit subigendo mortem trophyo Crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, vivificando mortalem regeneratione (2) coelesti. Hunc (si fieri potest) sequamur omnes, huius sacramento et signo censemur (3); hic nobis viam vitae aperit, hic ad paradisum reduces facit, hic ad coelorum regna perducit. Cum Ipso semper vivemus, facti per ipsum filii Dei: cum Ipso exultabimus semper, ipsius cruento reparati. Erimus Christiani cum Christo simul gloriosi, de Deo patre beati, de perpetua voluptate laetantes semper in conspectu Dei, et agentes Deo gratias semper. Neque enim poterit nisi et laetus esse semper et gratus (4), qui cum morti fuisset obnoxius, factus est de immortalitate securus.

(1) *roges..... implores*. Pro eo quod est *roga, implora*.

(2) *regeneratio*. Nova forte vox a verbo *Regenero*, quo pluribus locis Plinius usus est.

(3) *censeri aliqua re*. Videsis de *Mortalitate*, cap. XIV ad. *cruce et passione censeri*.

(4) *gratus*. Acceptus, iucundus alicui.



# TIPOGRAFIA E LIBRERIA SALESIANA

TORINO — PIAZZA MARIA SS. AUSILIATRICE

---

## CLASSICI LATINI CRISTIANI

---



Se alcuno volge lo sguardo ai libri, che sono per le mani de' nostri giovani nelle scuole secondarie, resta maravigliato, che essi cristiani siano obbligati a leggere, spiegare, tradurre, studiare tutto il giorno ed unicamente libri di scrittori pagani. Gli è fuor di dubbio che la lingua latina s'impara splendidamente sulle immortali pagine di Cicerone, di Livio, di Sallustio e degli altri scrittori che formano la gloria della letteratura e civiltà latina. Nondimeno non è chi non vegga essere pure cosa lodevole di non lasciar ignorare le scritture degli autori Cristiani, che vissero e scrissero nei primi secoli dell'era volgare sì per l'eleganza della lingua e dello stile, poichè ben raro si trovano presso di loro parole e modi di dire che ne' pagani scrittori anche non s'incontrino, come soprattutto per la dottrina che insegnano e la cristiana civiltà che inspirano. Ci parve quindi sempre ben fatto, se co' pagani scrittori si alternassero i cristiani, affinchè fin dai teneri anni fossero i nostri giovani bene imbevuti delle cristiane massime. Con questo pensiero abbiamo intrapreso una raccolta di cristiani scrittori, riputati i più eccellenti anche per lingua e stile adattandola alle esigenze delle scuole classiche, sicuri che non ci mancherà l'appoggio dei cultori delle lettere latine e della civiltà cristiana al cui incremento miriamo.

# SELECTA EX CHRISTIANIS Scriptoribvs

## IN VSVM SCHOLARVM.

Vol. in-16°.

|      |   |         |
|------|---|---------|
| I.   | HIERONYMI ( <i>S.</i> ) <b>De viris illustribus Liber singularis; Vitae S. Pauli Eremitae, S. Hilarionis Eremitae, Malchi Monachi et Epistolae selectae cum adnotationibus IOANNIS TAMIETTII Sac. Doct.</b> | L. 0 80 |
| II.  | SVLPICII ( <i>Severi</i> ) <b>Historiae Sacrae libri II cum adnotationibus IOANNIS TAMIETTII</b>  | » 0 40  |
| III. | — <b>Vita Sancti Martini</b> , edidit atque adnotat. illustravit IOANNES TAMIETTIVS Sac. Doct.  | » 0 40  |
| IV.  | LACTANTII ( <i>L. Caecilii Firmiani</i> ) <b>De mortibus persecutorum.</b> Liber unus, cum adnotationibus IOANNIS TAMIETTII Sac. Doct.<br>— In-16° pag. 88  | » 0 60  |
| V.   | AVGVSTINI ( <i>Sancti Aurelii</i> ) <b>De Civitate Dei</b> Liber quintus; edidit Sac. IOANNES TAMIETTIVS politiorum litterarum Doct.  | » 0 40  |
| VI.  | CYPRIANI ( <i>S. Thascii Caecilii</i> ) <b>Liber de Mortalitate et Epistola ad Demetrianum</b> , cum adnotationibus Sac. IOANNIS TAMIETTII Doct.  | » 0 40  |

**ANNO SCOLASTICO 1886-87**

**RECENTISSIME PUBBLICAZIONI**

---

**PVBLII**

**VIRGILII MARONIS**

**AENEIS**

**EX RECENSIONE**

**CHR. GOTTL. HEYNE**

---

**VARIIS LECTIONIBVS INSTRVXIT**

**ATQVE ADNOTATIVNCVLIS ILLVSTRAVIT**

**VINCENTIVS LANFRANCHIVS**

---

**LIBRI TRES PRIORES**

---

**Un volume in-16° Lire 0,50**

---

**TERZA EDIZIONE**

**DEL**

**NUOVO VOCABOLARIO LATINO-ITALIANO**

**ED ITALIANO-LATINO**

**AD USO DEGLI ALUNNI DELLE SCUOLE GINNASIALI**

**COMPILATO DAL SAC. PROF.**

**CELESTINO DURANDO**

---

**Un volume in-8° di pag. 936 L. 4**



1364764

BR

65

.C9D39

1887

Cyprianus,  
Liber de mortalitate  
et epistola ad Demetria-  
num....

Cyprianus,  
BR            Liber de mortalitate  
65            et epistola ad Demetria-  
.C9D39       num...  
1887            1364764

BR 65  
.C9D39  
1887

1364764

UNIVERSITY OF CHICAGO



51 776 157

UNIVERSITY OF CHICAGO



51 776 157